

124. *Partes potentiales* temperantiæ sunt virtutes quædam secundariæ, quæ modum illum, quem temperantia servat in frænanda cupiditate circa maximas et principales voluptates, retinent circa materias secundarias. Itaque omnis virtus refrænans appetitum in aliquid inordinate tendentem, et efficiens in aliqua materia moderationem, potest dici pars temperantiæ, seu virtus ei adjuncta. Tribus autem modis potest fieri hæc moderatio: *Primo*, in motibus animi internis. *Secundo*, in motibus externis. *Tertio*, in rebus externis. Motus interni, quibus animam prosequitur aliquid, (præter concupiscentiam, quam moderatur temperantia) sunt tres. *Primus*, est motus voluntatis concitatæ impetu passionis: et hunc refrænât *continentia*; qua fit ut licet pars inferior patiat magnos impetus concupiscentiæ, superior tamen non vincatur. *Secundus*, est motus spei, tendentis inordinate in excellentiam aliquam: hunc refrænât *humilitas*. *Tertius*, est motus iræ tendens in vindictam: hunc coercet *mansuetudo*, cui affinis est *clementia*. Externa autem quæ moderatione indigent, sunt duo, motus externi, et cultus externus. Motus externos (sub quibus etiam verba intellige) temperat virtus quædam, quæ *modestia morum* dici potest. Cultum autem externum et omnem apparatus externum regit alia virtus, quam *modestiam cultus* vocare possumus. Itaque partes potentiales temperantiæ sunt *continentia*, *humilitas*, *mansuetudo*, *clementia*, et *modestia* duplex. Interdum tamen *modestia* accipitur generalius, ut contineat etiam humilitatem et studiositatem, ut patet ex D. THOMÆ q. 143. et 160. art. 2. ubi quatuor ponit species modestiæ.

CAPUT II.

DE SPECIEBUS TEMPERANTIÆ, ABSTINENTIA, SOBRIETATE, CASTITATE, PUDICITIA.

DUBITATIO I.

QUID SIT ABSTINENTIA.

D. Thom. quæst. 146.

125. Abstinentia in materia temperantiæ significat proprie alimentorum subtractionem, quæ major sit, quam ratio temperantiæ per se postulet; non enim qui temperate bis vescitur carnibus per diem, sumpto forte mane jentaculo, dicitur abstinere vel esse abstinens, sed temperans: unde proprie significat majorem quemdam et insigniorem virtutis temperantiæ, circa cibos versantis, actum, et hanc ipsam virtutem, qua parte ad talem actum se extendit: hoc modo passim accipitur a Patribus, qui de abstinentia loquuntur, et 2. Pet. 1. *Ministrate... in scientia abstinentiam*. Tamen D. THOMAS hoc loco accipit hoc nomen ut significet integram virtutem temperantiæ circa

cibos; quæ alioquin nomine specifico caret, et solet nomine communi temperantiæ appellari.

Abstinentia igitur hoc modo accepta, est virtus cupiditates et delectationes esulentorum inordinate refrænans, et in ipso usu debitam moderationem constituens. *Inordinatæ* autem illæ esse possunt, vel quia trahunt ad id quod est illicitum, v. g. ad vescendum cibo vetito, vel loco, aut tempore incongruo; vel ad nimiam quantitatem; vel ad modum indecorum; vel quia nimis sunt vehementes et importunæ, non sinentes hominem aliud quam de cibo et ventre cogitare. Hæc igitur omnia resecat et tollit virtus abstinentiæ; facit autem hoc eo modo, quo ratio et appetitus superior rationi conformis, appetitum inferiorem regere et coercere solet.

Debita moderatio in ipso usu requisita est, quæ valetudini et officiis mentis congruit; unde D. AUGUSTINUS L. 10. Confess. c. 31. n. 41. *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*; vel certe quæ congruit castigationi corporis et carni subjugandæ spiritui, absque notabili valetudinis læsione: etsi enim delectationes ciborum non sint appetendæ aut usurpandæ, nisi quatenus valetudini corporis et idoneæ dispositioni mentis ad suas functiones obeundas congruit, (nisi forte in casu aliquo particulari, ob causam extrinsecam ratio aliud posecat); tamen hæc mensura non semper est servanda in illis subtrahendis: possunt enim occurrere circumstantiæ et justæ causæ, ob quas expediat abstinere etiam plus quam valetudini congruit, v. g. ut caro castigetur et spiritui subjiciatur, ut pro peccatis satisfiat, etc. etiamsi vires corporis minuantur; modo tamen non graviter brevi tempore valetudo frangatur, ita ut mens reddatur ad suas functiones ineptior: ea enim bona est corporis valetudo, quæ optime menti servit; nam corpus est propter animæ functiones.

Notandum tamen est, quando abstinentia est major, quam ratio temperantiæ per se postulat, non semper illam fieri ex affectu virtutis, quæ sit species temperantiæ; ac proinde nec esse semper actum talis speciei formaliter: si enim fiat tantum affectu placendi Deo, erit formaliter opus charitatis; si ut satisfacias pro peccatis, erit opus penitentiæ; si ut carnem subjicias spiritui, erit opus castitatis; hujus enim est frangere libidinem, ac motus carnis inde sequentes, et facere illam rationi parere: si autem quia congruit tibi ad hoc ut mens sit magis idonea ad suas functiones, sic erit proprie actus hujus virtutis. Ex cujuscumque tamen virtutis affectu procedat, semper dicetur actus temperantiæ et abstinentiæ; quia est actus virtutis in materia abstinentiæ.

Porro qui abstinentiæ sunt dediti, his duo vitia potissimum vitanda sunt, *impatientia* et *superbia*; ut eleganter docet D. GREGORIUS, 3. parte Pastoralis, admonit. 20. *Impatientia* quidem, quia abstinentiæ exsiccat corpus, humores accendit, et biliosos efficit. *Superbia* vero, quia magni aestimantur ab hominibus: est enim res vulgo ardua, foris apparens, et speciem eximie sanctitatis præ se ferens; vide plura hac de re loco notato, et apud D. AUGUSTINUM L. 10. Confess. cap. 30.

DUBITATIO II.

QUID SOBRIETAS, ET QUOD EJUS OFFICIUM.

D. Thom. quest. 149.

126. Hoc nomen tripliciter accipitur : 1°. Generatim pro virtute temperantiae : Sap. 8. *Sobrietatem et prudentiam docet*, ubi græce est σωφροσύνη, id est, temperantiam. Simili modo accipitur ad Titum 2. *Sobrie, et juste, et pie vivamus*; græce σωφρόνως. 2°. Magis stricte, pro temperantia cibi et potus; ita vulgo dicuntur *sobrii*, non solum qui parce bibunt, sed etiam qui parum comedunt. 3°. Strictissime et proprie pro moderatione potus valentis inebriare; proprie enim *sobrii* dicuntur (græce νηφάλιοι), qui in potu inebriante ita sibi temperant, ut iudicii serenitatem conservent; sicut e contrario *ebrii*, qui debitam mensuram excedunt; ita ut iudicium notabiliter offuscetur : sic accipitur crebro in Scripturis; Ecclesiastici 31., ad Tit. 2., 1. Pet. 5. et alibi.

Hoc modo accepta *sobrietas est virtus, quæ affectum et usum potionis inebriare valentis debite moderatur. Affectum*, quia cum sit species temperantiae, versatur immediate circa passiones. *Usum*, quia in usu externo materiae perficitur opus virtutis moralis : nimirum quando formam suam, hoc est rationis regulam, non solum affectui interno, sed etiam operi externo imprimat, ut supra sæpius ostensum est. Imo ideo formantur affectus interni ad virtutis normam, ut illorum moderatio in opera externa redundet.

Potus inebriare valentis. Hæc enim est propria materia, etsi remota, hujus virtutis; si non possit inebriare, non pertinebit ad hanc virtutem : neque excessus erit contra *sobrietatem*; sed contra virtutem *abstinentiæ*, ut recte D. THOMAS art. 2. ad 1. ut si quis excedat in potu aquæ ob voluptatem, quam percipit vel ex refrigerio, vel ex ejus dulcedine, si sit saccharata.

Debite moderatur. Ut hæc moderatio debito modo fiat, debet congruere serenitati mentis et iudicii, ita ut eam nullo modo lædat, aut notabiliter obtenebret; hoc enim proprie est officium hujus virtutis, ea mensura uti potu inebriante, quando eo utendum est, quæ mentis functiones non impediatur, vel offendant.

127. *Dices* : Ergo hæc virtus non distinguitur a virtute abstinentiæ, quia etiam hujus officium est, uti moderate cibo et potu, ut congruit valetudini et functionibus mentis.

R. Si nomen abstinentiæ sumatur ut vulgo solet, et sicut a sanctis Patribus passim usurpatur, *sobrietas est pars abstinentiæ* : nemo enim dicitur habere virtutem abstinentiæ, qui est intemperans vini, vel alterius potus inebriantis, quantumvis alioquin sit moderatus in usu cibi et potus imbecillioris.

Si vero hoc nomen strictissime sumatur, ut accipit D. THOMAS, sic potest inveniri aliqua distinctio; nam congrua moderatio in usu vini, (sub vini nomine intellige omnem potum vinosum et inebriantem) habet peculiarem difficultatem, quæ non est in moderatione cibi et potus alterius; tum quia

homines passim sunt magis proclives ad excessum in vino, quam in cibo; tum quia excessus in illo est multo facilior; tum denique quia est gravior, et majorem noxiam infert; ut Proverb. 23. dicitur : *Ingrederetur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Hinc fit ut in ejus usu requiratur peculiaris virtus, quæ hæc præstet; quam proprie vocamus *sobrietatem*, a servanda *bria*; quæ vox mensuram vini significat, juxta Donatum, eo quod maxime in usu vini, moderatio seu mensura sit adhibenda. Quæ vero moderationem adhibet in usu cibi et potus alterius, v. g. aquæ, vel lactis, in qua non est tanta difficultas, nec tantum periculi, communi nomine dicitur *abstinentia*.

128. *Petes*, In quibus maxime hæc virtus requiratur?

R. Esse quidem aliquo modo necessariam omnibus, peculiari tamen ratione episcopis, principibus, et senibus; præterea feminis, et adolescentibus, ut recte D. THOMAS art. 4.

1°. *Pars patet*, tum quia omnes debent resistere tentationibus carnis, quas absque hac virtute moraliter impossibile est vivere : *Luxuriosa enim res vinum*, ut ait Sapiens, Proverb. 20. nimirum si immoderate sumatur; et Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* : tum quia omnes debent esse vigilantes, et excubare animo adversus insidias diaboli, quod absque hac virtute fieri nequit; unde apostolus Petrus epist. 1. c. 5. *Sobrii estote*, græce νήφατε, et *vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit querens quem devoret, cui resistite fortes in fide*; et 1. ad Thessal. 5. *Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus*; græce νήφωμεν tum denique quia *neque ebrii... regnum Dei possidebunt*, 1. ad Cor. 6.

2°. *Pars probatur* : Episcopi enim, principes, et senes præ cæteris ad functiones sibi proprias requirunt mentis serenitatem, quam præstat sobrietas.

Episcopi quidem, sub quibus intelligendi cæteri Ecclesiæ ministri, ut notat D. THOMAS, quia ipsorum est vacare orationi, lectioni sacræ, erudiendo populo, et sacramentorum administrationi; quæ omnia mentem puram, serenam, et pervigilem requirunt. Unde Apostolus inter cætera, quæ in episcopis requirit, ponit sobrietatem.

Principes, quia debent populum sibi subditum juste gubernare : ad quod summa vigilantia opus est, tum ut idoneos ministros constituent; tum ut jam constitutis invigilent, ut hi officium præsent, ne privatis potius commodis, quam bono publico studeant; tum denique ut peculiariter curent ne causæ pauperum negligantur, vel pervertantur. Unde Proverb. 31. 4. *Noli regibus; o Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas; et ne forte bibant et obliviscantur iudiciorum, et mutant causam filiorum pauperis.* Videt de hoc plura apud Alexandrum ab Alexandro L. 3. c. 11.

Denique senes, quia in his ratio vigere debet ad aliorum eruditionem; nihil enim turpius ebrioso et fatuo sene : unde Apostolus ad Tit. 2. jubet moneri *senes ut sobrii sint.*

3°. *Pars patet*; adolescentibus enim est necessaria sobrietas, ob fervorem illius ætatis : unde ante annum trigesimum vinum bibere, etiam viris, apud Romanos criminosum erat, ut Alexander ab Alexandro loco citato refert.

Feminis vero ob iudicii debilitatem, quod facile usu vini perturbatur; eo vero perturbato, facile aliquid indecori committunt: unde olim apud Romanos mulieribus vinum bibere non licebat, teste Plinio L. 14. c. 13. et Valerio Max. L. 2. c. 1.

DUBITATIO III.

QUID CASTITAS, ET IN QUIBUS REBUS VERSETUR.

D. Thom. quest. 151.

129. Castitas proprie significat puritatem quamdam, a voluptatibus et actibus carnalibus, in quibus est peculiaris quaedam turpitudine et impuritas, alienam. Generatim vero, vel potius per metaphoram, puritatem animi ab omni amore et delectatione inordinata creaturarum, atque adeo ab omni labe peccati, quæ in amore creaturarum male ordinato consistit; quo modo dixit Apostolus 2. ad Corinth. 11. *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Sic D. AUGUSTINUS L. de mendacio, c. 20. n. 41. *Castitas enim est amor ordinatus, non subdens majora minoribus;* et hanc dicit pudicitiae corporis anteferendam. Verum nos hic de castitate proprie loquimur, quæ circa voluptates carnis versatur. Igitur sicut absterentia moderatur affectum et usum in esculentis, sobrietas in poculentis; ita castitas in venereis, ne plus, alio tempore, loco, modo illis delectemur, vel utamur, quam rectæ rationis præscripto secundum præsentem statum congruit.

Est autem castitas alia perfecta, alia imperfecta. Perfecta est quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis quam illicitis, perpetuo abstinere proponit: unde etiam affectum nuptiarum excludit. Imperfecta est, quæ vel solum ad tempus id proponit, vel solum ab illicitis abstinere, et licitis moderate uti, ut in matrimonio. Hæc autem moderatio consistit in debito loco, tempore, modo, et fine; qui enim cum his circumstantiis matrimonio utitur, ab aliis abstinet, castitate conjugali præditus est.

130. Dices: Etsi abstinere a voluptatibus illicitis, et in licitis adhibere debitam moderationem, sit per se honestum, ac proinde virtutis objectum; tamen non videtur per se honestum abstinere licitis et moderatis; tum quia nemo in statu innocentiae ab illis abstinisset, cum pertineant ad speciei humanæ propagationem; tum quia usus illarum est actus virtutis, ac proinde absterentia illarum non potest esse virtutis opus; quia virtus virtuti non est contraria.

R. Si per se honestum dicatur id, quod in omni statu, et cum quibusvis circumstantiis honestum est; sic abstinere ab illis voluptatibus non est per se honestum; quia initio mundi, genere humano nondum satis propagato, honestum non fuisset: sicut neque jejunia, aliæque afflictiones honestæ fuissent in statu innocentiae. Si vero per se honestum dicatur, quod in præsentem statu cum circumstantiis nunc passim occurrentibus, absque relatione ad finem extrinsecum, honestum est; sic abstinere a licitis voluptatibus matrimonii est per se honestum, quia non solum quatenus fit propter Deum est honestum, sed etiam ex propria ratione, quatenus id per se hominem liberat multis rerum secularium curis, et reddit magis idoneum et expedi-

tum ad functiones mentis, facitque similiorem spiritibus angelicis; et hac ratione est objectum virtutis castitatis. Unde castitas perfecta videtur specie distingui a castitate conjugali (quod etiam insinuat D. THOMAS q. 152. art. 3.); quia alia ratio honesti et laudabilis reperitur in absoluta absterentia, alia in moderato usu.

131. Ex dictis facile intelligas quæ sit castitatis materia, et quod officium. Proxima enim materia sunt interni concupiscentiæ motus; hos enim vel comprimit, vel secundum rationis normam componit.

Remotior, sunt actus externi, qui vel sunt prævii conjunctioni, ut aspectus, oscula, tactus, vel sunt ipsa conjunctio. Et quidem ut hæc virtus circa ipsam conjunctionem versatur, affectum ab ea avocando, vel debito modo ea utendo, vocatur castitas: ut vero circa actus prævios simili modo se habet, pudicitia, ut D. THOMAS annotavit; est tamen una eademque virtus circa prævia, et circa principale. Vel certe dicitur castitas, quatenus inordinatum affectum et usum venereorum resecat; pudicitia, quatenus pudori, qui in usu illorum esse solet, est conformis. De laude castitatis vide D. AUGUSTINUM in serm. passim.

DUBITATIO IV.

QUID SIT VIRGINITAS.

D. Thom. quest. 152.

132. Virginitas a virore dicta putatur, quia denotat immunitatem a concupiscentiæ adustione: quæ adustio fit cum homo illius motibus consentit.

Dupliciter hoc nomen accipitur: 1º. Pro carnis integritate, libidinosæ contagionis expertæ: et sic non est virtus, sed quid naturale, cum quo nascimur; quod etiam inviti perdere possumus. 2º. Pro voluntate et proposito illius integritatis et puritatis servandæ, vel perpetuo, vel saltem usque ad tempus conjugii: et hoc modo virtus est; et quidem si usque ad tempus conjugii duntaxat, non est proprie virginitatis virtus (nam simul consistit cum proposito virginitatis et integritatis violandæ), sed status quidam castitatis, ut inquit Cajetan, art. 1. §. *Ad evidentiam*, ubi ad virginitatem, ut denotat statum castitatis, duo requirit: ex parte quidem corporis, non esse voluntarie pollutum; ex parte animi, propositum ita se servandi, nisi matrimonio jungatur. At virtus virginitatis prorsus tale propositum excludit: quia neque in re, neque in affectu cum violatione stare potest. Hanc D. AUGUSTINUS L. de sancta Virginitate c. 13. n. 12. sic definit: *Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Itaque hæc virtus in subjecto supponit et connotat integritatem carnis, et immunitatem a contagio libidinis, et formaliter in eo sita est, quod hanc perpetuo tueri intendat, omnia illi contraria vitando. *Meditationem* vocat, quia est propositum multam curam et meditationem postulans, ut illum thesaurum conservet.

133. Dices: Illa integritas et puritas est quid naturale; ergo ejus conservatio non est virtus, sed quiddam per se indifferens. Confirmatur, quia

habere illam non est objectum per se honestum; ergo circa illam per se non versatur aliqua virtus; omnis enim virtus est amor et affectus boni per se honesti.

R. Illam integritatem carnis dupliciter spectari posse: 1^o. Ut est a natura, vel ut ejus conservatio non est in nostra potestate: et hoc modo non est objectum hujus virtutis, quia non est laude aut vituperio digna; et hac ratione recte dixit D. THOMAS art. 4. integritatem carnis per accidens se habere ad virtutem virginitatis; nam sine hujus virtutis amissione potest amitti.

2^o. Ut subest nostræ potestati: et sic est objectum virtutis; quia laudabile est, cum in potestate tua fuerit libidinis contagione inquinari, non esse tamen inquinatum: sicut laudabile est, cum potueris transgredi, non esse transgressum, et servasse innocentiam: nam illud ipsum per se est dignitas quædam et ornamentum naturæ rationalis, per quod et longius recedit a conditione brutorum, et propius accedit ad similitudinem angelorum, ut dictum est de castitate.

Dices: Innocentia, quæ consistit in nunquam peccasse mortifere, est res laudabilis, et magnum ornamentum naturæ; non tamen requirit aliquam peculiarem virtutem, sed sufficiunt illæ virtutes, quæ impediunt peccata, quibus amittitur innocentia; ergo similiter integritas illa non requirit aliquam virtutem, præter eam, quæ impedit actus carnales, quibus illa amittitur, quæ est castitas.

R. Hoc argumento recte probari, virtutem *virginitatis* non distingui a *castitate*, nisi connotato, sed esse ipsam virtutem castitatis in subjecto incorrupto; utriusque enim officium est vitare omnem libidinis contagionem, et subjectum servare immune in posterum a tali labe. Sed virginitas ulterius connotat hoc subjectum nunquam antea fuisse libidine contaminatum: quod non includit ratio castitatis. Itaque *virginitas*, ut est virtus, nihil est aliud quam castitas perfecta, integritati et puritati carnis conjuncta. *Perfectam* voco, quæ consistit in proposito abstinendi perpetuo ab omni voluptate carnali tam licita quam illicita. *Imperfecta* enim est, quæ solum ab illicita, vel ad tempus abstinere proponit.

Nec obstat, quod D. THOMAS art. 3. in 0. dicat virginitatem se habere ad castitatem sicut magnificentia ad liberalitatem; quia loquitur de castitate imperfecta, quatenus dicit propositum abstinendi a voluptatibus illicitis, seu *ab inordinatione veneræ voluptatis*, ut ipse inquit: respectu enim hujus virginitas habet quamdam excellentiam; sicut magnificentia ad liberalitatem: quia sicut liberalitas versatur circa sumptus et opera mediocria, magnificentia circa magna; ita castitas illa solum mediocre aliquid præstat, dum illicitas duntaxat voluptates abdicat; virginitas vero magnum quiddam et arduum, etiam concessas perpetuo repudians. Proportio tamen non tenet in omnibus; quia virginitas non respicit suum objectum sub ratione magni et ardui, sicut magnificentia: neque hoc D. THOMAS intendit, ut recte CAJETANUS art. 3. contra Martinum.

134. Notandum est, etiamsi objectum virginitatis, nempe conservatio integritatis et puritatis carnis, per se honestum sit; tamen quia est valde difficile, et nuda ratio honestatis, quæ illi per se inest, non satis virium habet

ad animos hominum absque majoris boni spe alliciendos, raros vel forte nullos in mundo esse, qui solo intuitu honestatis illius, rem tam difficilem amplectantur. Itaque plura motiva, et consequenter plures virtutum rationes concurrunt ad animum promovendum, v. g. quia Deo gratum; quia ipsi, voto dicatum; quia præbet facultatem melius Deo serviendi; quia liberat a multis inutilibus et superfluis curis. Unde ad diversas virtutes iste integritatis affectus pertinere potest. Et hac ratione D. THOMAS indicat virginitatem, ut est virtus, importare propositum integritatis perpetuæ voto firmatum (sub hac enim consideratione passim colitur); quo modo formaliter ad religionem, et ratione solum materiæ ad temperantiam pertinet. Non tamen negat D. THOMAS, quin virginitas etiam sit virtus absque voto, ratione propriæ honestatis, et pulchritudinis sui objecti.

DUBITATIO V.

UTRUM VIRGINITAS SIT PRÆSTANTIOR MATRIMONIO.

D. Thom. quæst. 152. art. 4.

135. Comparatio fit non inter Sacramentum matrimonii (quod consistit in ipso contractu) et virginitatem, sed inter statum matrimonii et statum virginitatis, ut diversas vivendi formas continent. In statu virginitatis generatim coelibatum intellige.

Jovinianus etsi fateretur, propter hujus vitæ necessitatem, ne conjugales patiamur molestias, virginitatem esse præferendam; unde nec ipse uxorem habere volebat, ut refert D. AUGUSTINUS hæresi 82., tamen apud Deum hos status pares fecit, affirmans non majoris esse meriti cultum virginitatis, quam matrimonii. Dicit, inquit HIERONYMUS L. 1. contra Jovinianum, *virgines, viduas, et maritatas, quæ semel in Christo locæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti*. Eadem docent hæretici nostri temporis, quibus addunt etiam deteriora: 1^o. Virginitatem non solum non esse majoris meriti apud Deum; sed esse impiam superstitionem, si cum opinione cultus, id est, veluti obsequium Deo gratum servetur. Quia, inquiunt, omnis cultus a Deo non præceptus est superstitio. 2^o. Si servetur ob hujus vitæ commoditatem, vel ob Evangelii prædicationem commodius obeundam, non esse quidem per se malam; stultum tamen esse se ad illam obstringere, aut illam velle servare, nisi quis habeat singulare quoddam donum continentiae, quod paucissimis datur, et sciat se illud habere. Ita Lutherus in libello, quem inscripsit Epithalamium; et Calvinus L. 4. Institutionum capite 13. §. 17. 18. et 19.

136. Sed fide tenendum est, statum virginitatis conjugio esse præferendum, non solum ratione commoditatis hujus vitæ, sed etiam propter fructum spiritalem et majus meritum apud Deum, atque adeo propter vitam æternam. Probat id fuse D. HIERONYMUS L. 1. contra Jovinianum, et D. AUGUSTINUS L. de bono conjugali, et L. de sancta Virginitate. Nos præcipua duntaxat argumenta adducemus.

Prob. I. Ex Scripturis. Matth. 19. cum discipuli dixissent: *Si ita est causa*